

rum exoticarum scriptores, qui omnes de hoc agunt. Commendatur ex hoc CORNU, quod gestat in extremitate narium; Commendatur in morbis malignis sive venenatis, & exinde in specie in febris malignis; unde etiam substitui solet unicornu in iisdem, uti videri potest in ZACUTO LUSITANO Lib. 4. Medic. princip. Histor. 51. Dosis est à ʒβ. ad ʒj. sunt qui faciunt exinde poculum elegans admodum, ex quo hauriunt vinum vel alium potum: *preservat enim à veneni potu, & impedit, quo minus possit intoxicari.* In FABRI Myrothec. spagy. lib. 1. cap. 29. habetur Q. E. præparatio Rhinocerotis, uti etiam BARTHOLET. de respiratione pag. 416. qui habet ∇. destillatam cornu Rhinocerotis: cum aliis aquis, cui ipse multum tribuit in morbis malignis.

SERPENS.

Qui utur vulgo dicatur, quod sit *venenatus*, nihilominus tamen nisi sit iracundus & furore percitus, nullus serpens vel vipera est venenosa. Ut taceam reperiri plures magnos serpentes, qui non sunt venenati, & nullo modo possunt ad iram promoveri, sed omnino sunt placidi. Exempla hinc inde prostant. Colligendi sunt tempore verno, statim postquam deposuere exuvias, & è latebris fuerunt egressi. *Officinalia* quod attinet, totus serpens est alexipharmacus, unde est, quod pulvis eorum vocatur BEZOARDICUM ANIMALE: ejusque spiritus sive Θ . vol. sicut viperarum mirè conveniunt in morbis malignis, pulvis serpentum usurpatur &c. Cæterum observetur, quod AUCTOR dicat integri combusti, qui modus præparandi est rejiciendus, quoniam in combustione vis egregia, quæ consistit in Θ e vol. & spiritu exhalat: Potius exsiccandi sunt serpentes, pulverisandi & pulvis cum spiritu vini camphorato irrigandus, ut exaltetur pulveris vis alexipharmaca. In febris malignis, purpura, in febris petectialibus, in peste, & ubi est malignitatis suspicio, datur à ʒj. ad ʒβ, cietque sudorem. Serpentes qq. uti etiam vipera mirè conveniunt in cura luis \mathcal{Q} ea, in quacunque forma sive decoctum, sive Θ vol. sive Essentia aut aliud quid exhibeatur. Præterea serpentes mirè conveniunt in firmanda sanitate & prolonganda vita. LOTICHIIUS namque obs. pag. 425. habet observationem ex comestione carnis serpentinae vegetæ productæ tenectutis. Ulterius valdoperè profunt pro arcenda sterilitate virorum, si edantur viperae vel serpentes. Sic Dux Bavariae habuit gallos cristatos, quos cibavit serpentibus, & usurpavit pro cibo, sicque factus fuit fecundus. Dicunt, si serpentibus suspensis evellatur LINGUA, singulare esse experimentum, & si carbunculis pestilentialibus imponitur venenum, soleat mirè ad se trahere. EXUVIÆ serpentum imprimis sunt officinales, & fiunt, quando serpentibus certo tempore quasi morbo affectis, & somno suppressis, ob impeditam exinde insensibilem transpirationem partes naturabiliter acres intra

cuticulâ & cutim subsidentes corrodendo hæc ab invicem separant, in quibus multa latent arcana. Prius noto, quod spolia sive exuvia serpentum imprimis sunt, quæ serpentes spontè exuunt. Nam quæ aliàs detrahuntur, aliàs habent virtutes. 1. Certum est, quod partum mirabiliter facilitent, sive instar cinguli circumdantur corpori, sive etiam fiat ex his unguentum seu Emplastrum. Sunt etiam, qui cum succo cancrorum fluviatilium & lumbricorum terrestrium cum axungia vulpina & leporina, ac denique cum exuviis serpentum faciunt unguentum, quod applicant abdomini, & mirè exinde facilitari dicunt partum. De hac vi exuviarum in facilitando partu, qui plura cupit, vid. KHVNRATH. in medulla destillatoria lib. 1. 17. V. ubi etiam dictum reperitur unguentum. Et SCHMVCK. Curat. magico-magnet. pag. 30. Exuvia serpentum instar Cinguli applicatæ abdomini, dicuntur curare hydropicos, eosque expurgare per urinam. Ulterius exuvia mirè commendantur ab HORSTIO in Dispensatorio ad alopeciam, ut crescant pili. Exuvia serpentum pulverisatæ, mista cum pulvere cancrorum fluviatilium, mirè conveniunt in vulneribus nervorum, quod si quis fuerit dissectus, inspersus hoc pulvere, subito concrevit & consolidatur, quod etiam de tendinibus & aliis verum est. Idem pulvis est expertus in vulneribus oculorum, quæ citò sanat. Item si pulvis exuviarum inspergatur in vulnus recens, intra triduum illud curare dicitur. Decoctum Exuviarum serpentum valdè commendatur in cura morbi pedicularum. Præter hæc etiam datur LAPIS SERPENTINUS, qui lapis serpentinus, de quo vid. moderni KIRCHERUS & alii, est substantia lapidea, sive potius ossea, & reperitur circa caput serpentis in India orientali, qui hanc habet virtutem, ut applicatus morsui venenato adhæreat tandem, donec attraxerit omne venenum, postmodum ubi decidit, injicitur in lac, ut venenum haustum communicet lacti, postea exemitur rursus applicatur morsui, & si aliquid adhuc veneni est reliquum, adhæret vulnere, sin vero nihil reperit, spontè decidit. Et curavit nuperrimè D. TACHENIVS canem quendam à vipera demorsum cum hoc lapide serpentino, quem veneno imprægnatum injecit in lac, illudque ita intoxicavit, ut propinatū alteri cani fuerit veneni instar lethale. Pulvis uti dixi vocatur Bezoardicum, animale & convenit in morbis malignis, in specie in cutaneis lue \mathcal{Q} ea &c. In vipera & serpentibus est Cosmeticum, quod habebimus, ubi agemus de viperis. Præparaciones pulveris simplicis & compositi habet AUCTOR. Observetur, quod ubi assumpto pulvere Bezoardico animali ex serpentibus, altero die velimus purgare, difficilium sequatur purgatio, quoniam pulvis Bezoardicus vegetabilis resistit veneno & malignitati purgantium.

SUS vel PORCUS.

UTI ratione conformationis partium tam internarū quàm externarum cum homine multū convenit, ita etiam SANGUIS & CARO ad